QVOD FELIX FAVSTVMQVE IVBEAT ESSE DEVS!

BACCHANALIA CHRISTIANORVM

vulgo

Das Carneval

INDVLGENTE INCLVTA FACVLTATE PHILOSOPHICA

PRÆSIDE

M. JOH. CASPARE Zeumer/

Glaucha Misnic.

Publicæ disquisitioni A. O. R. MDCIC. submisit

RESPONDENS

JO. HENRIC. Kindervater/

Kelbrano-Güldenauiensis. S. T. Studiosus.

EDITIO ALTERA AVCTIOR.

JENÆ

TYPIS JOH. ADOLPHI MVLLERI.

بسم الله

PRÆLOQVIVM.

SAcrarium ibi habere contendere Diabolum, vbi templum extruxit DEVS, vel ex solo Bacchanaliorum festo iam per multa secula in Christiano orbe more Christianis indigno continuato apparet. DEVS enim Ecclesiam sibi plantauit, in quam nos cœcos antea & in tenebris densissimis ambulantes gentes introduxit, vt beneficiorum per Christi meritum acquisitorum nos redderet participes. Hancce Redemtoris sui gratiam γνησίως Christianæ religionis confessores grato agnouere animo, atque vt in Ecclesia omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fierent, Bacchanalia Ethnicorum in passionalia Christianorum conuerterunt (a). Verum ne hæc Spiritus S. officina sine graui maneret labe, malignus ille Spiritus omnem nauauit operam, vt Epicuræam securitatem cum multis sceleribus admisceret. Quod etiam ex voto obtinuit, dum execrabili Bacchanaliorum ritu

(a) *Notante Matth. Dressero, de Festis diebus Christianorum p. 62.*

ab Ethnicis reuocato non tantum eam, quam idolum illud Romanum iactat, sanctitatem corrupit; sed & bonam Euangelicorum eheu! famam mirum in modum maculauit. Os enim, quod sancto hoc tempore innocentissimi Iesu laudem prædicare deberet, spurcissimas eructat nugas: Gulæ nimium indulgentes ad sacra ieiunia se pessime præparant, aliam personam, quam quæ a DEO ipsis data est, induunt: Oculos ad montes, vnde auxilium venit, eleuandos (Ps. CXXI, 1. CXXIII, 1. Esa. XL, 26.) mundanis iisque inanibus voluptatibus pascunt; manibus in nomine Domini leuandis (Ps. LXIII, 5. CXXXIV, 2.) thyrsum prehendunt maledictum; Pedes ad Dei veri testimonia conuertendos, ad malum dirigunt, nec viam pacis sciunt, nec est iudicium in gressibus eorum Esa. LIX, 7. 8. Clamant quidem contra vitia hæc omnes suggestus, sed surdis narratur fabula, Gebeut hin/gebeut her/dicunt, Esa. XX, 10. propria contradicit conscientia, nemo autem hæc curat. Ethnicis proinde tales Christiani sua exæquant peccata, imo bacchando eos superant. Ne autem nimium dicere videamur, ne etiam veritas non explanata odium pariat, veterem Bacchanaliorum historiam cum recentiore, quantum fieri poterit, conferemus. Faxit Numen æternum vt omnia in ipsius nominis gloriam, veritatis patrocinium nostrumque emolumentum cedant!

THES. I.

Thes. I.

Carneual non ex orbe Christiano traxit originem, sed a pessimo principio ad Christianos peruenit.

Ἔκθεσις

§. I.

Dicti huius veritas apparet tam ex Etymologia & Homonymia, quam ex Synonymia.

§. II. Etymologiam quod attinet, vocabulum Carneual est Italicum & per Apocopen ponitur pro Carneuale, quod componitur ex carne, i. e. caro & valere.

§. III. Hæc vox autem varias habet significationes, quare, vt res fiat clarior, eas euoluere non pigrabimur. Primum conuenit (a) vocab. Hispanico Carnaual ò carnestolendas, quasi eo tempore carnium vsus tollatur eique valedicatur. Deinde etiam hancce potest habere significationem: Caro valet, i. e. carni (hominis) bene est. Sibi enim persuadent bacchantes, bacchica hac festiuitate nullam esse gratiorem, nullam lætiorem. Denique putamus significationem quoque valedicendi locum hic ita inuenire, vt sensus sit: valeant carnales voluptates. Hoc enim tempore ad satietatem vsque furere volunt, vt ieiunia secutura rectius obseruent, Sie wollen ausschwärmen/ daß sie her-

(a) *Notante Speidelio in Specul. Iurid. p. 223. sub voce* Fastnacht. *Consentientes habet Besoldum in Thesaur. pract. p. 197. sub ead. voce. it. Excellentiss. Dn. Ahasu. Fritschium in Principe peccante p. 149.*

nach die Heil. Fasten-Zeit desto grössere Andacht haben können (b). Quamcunque autem significationem amplexus fueris, facile colligere poteris, Carneuale esse festum Christianis indignum. Si enim prima attenditur, ad Pontificios præcipue spectat, qui ieiunii tempore ciborum discrimen ita obseruant, vt præcipue ab vsu carnium abstineant, quæ doctrina est Diabolica (c), & a veris Christianis merito reiicitur, quippe qui probe sciunt, comedendo præceptum ieiunii non frangi, si modo seruatur sobrietas (d). Secunda interpretatio, quamuis omnibus bacchantibus sit communis: impiam tamen importat luxuriam (e) atque actiones scandalorum plenas (f), de quibus infra prolixius agemus. Nec tertia significatio de bono aut licito actu testatur, non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona (g), qui ergo putant, quod Carneual propterea celebrari debeat, vt bona, castitas nempe & vitæ sanctimonia eueniant, illi Apost. dictum euertunt, & mala facere volunt, vt bona eueniant.

§. IV. Inter Synonyma, ad quæ nunc progredimur, præcipua sese nobis offerunt 1. Bacchanalia, quæ dicuntur a Baccho

---

(b) *Idem ferme sentiunt Matth. Cramer. in Diction. Real. Ital. vbi dicit: Carneuale, Carnouale, Carnasciale,* Fastnacht / Fasching / Fastel-Abend / von carne, weil zu dieser Zeit das Fleisch-Essen aufhöret / oder vielmehr die Fleisches-Lüste über alle massen gepfleget werden / *& Carol. du Fresne, in Glossar. sub voce Carneleuamen.* (c) *Ita ipse Apost. 1. Tim. IV, 3. vocat.* (d) *Test. Besoldo in Thesauro Pract. Cont. p. 197. sub voce* Fasten. (e) *In quem Paulus Rom. XIII, 13. mirum in modum inuehitur dicens:* ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν· μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις. (f) *Quibus ipse Saluator grauissimam minatur poenam Matth. XIIX, 6.* (g) *Ad Roman. III, 8.*

Baccho (h) vini (ex fabulosæ antiquitatis sententia) inuentore, de cuius patria, parentibus, educatione, rebus gestis &c. multa proferre, & præcipue quoque prolixe differere possemus, cur Thriambus, Lythirambus & Dithyrambus cognominetur. Sicut enim Græci Bacchum Διμήτορα & Romani Bimatrem (i) appellant: ita eundem Syri ܬܪ̈ܝܢ ܐܡܗ̈ܝܢ vel præfixo ܠ vel ܕ vt ܐܡܗ̈ܝܢ ܠܬܪ̈ܝܢ vel ܐܡܗ̈ܝܢ ܕܬܪ̈ܝܢ i. e. διμάτορα vocarunt. Ex his inde Græci fecere Θρίαμβον, Λυθρίαμβον & Διθύραμβον. Cum autem hæc in multorum eruditorum scriptis clarissime exponantur (k), nec rudiores quidem fugiant, nos tempori & chartæ parcituri labore hoc supersedemus, & de eo tantum sumus soliciti, quod ad præsens nostrum institutum facit. Hoc autem est Bacchi etymon, de quo autores minime consentiunt. Georg. Hornius enim Bacchi vocem בקש fortasse ab inquirendi nimium res abstrusas studio deducit (l). Speciosior autem videtur sententia eorum, qui cum celeberrimo Heinsio (m) ab Hebr. בכה quod est flere, eiulare ac lamentari deriuant, id quod etiam de Bacchabus dicit Virgilius (n) quando canit;

At aliæ tremulis vlulantibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.

(h) *Præter. supr. alleg. vid. Botatii Genealog. Deorum p. 134, 136. Rosin. Ant. Rom. p. 62.* (i) *Bimater dicitur illis, qui per Bacchum intelligunt Mosen, quia Filia Pharaonis secunda mater videtur Mosis Exod. II, 10. Actor. VII, 21.* (k) *Confer. præter iam citatos Chr. Neand. Bacchanal. Nicolai de ritu Bacchan. Chartarii imagines Deorum p. 177. seq.* (l) *Lib. II. Histor. Philos. cap. 9. p. 110.* (m) *In Aristarcho, c. 1. p. 1. Conf. B. Glassius in Grammat. sac. p. 776.* (n) *Æneid. 7.*

Ipsæ vero Bacchæ (o) in Bacchi celebratione flebili voce, subinde illi acclamabant: ἐλελεῦ ἴακχε, cui interdum addebant: ἰὼ ἰὼ, heu! heu! vel etiam εὐοῖ, εὐοῖ, quod & ipsum fontem Hebr. sapere & ab אבוי (p) Heu, eheu, originem traxisse videtur, ac inde illud Bacchi cognomen Εὔιος, sic enim de eo canit Ouidius (q).

Pars hymenæa canunt, pars EVIE EVIE clamant.
Sic coeunt sacro nupta Deusque toro.

Stante hac vocis Bacchi deriuatione, ἐλελεῦ non incommode ab Hebr. הילילו, i. e. vlulate (r) deducitur, quæ significatio luctus imprimis apud Prophetas in sacris inuenitur (s).

§. V. Sed hisce palmam præripere conatur Fullerus, dum item Bacchi nomen ex τετραγραμμάτῳ יהוה vel יה deducit, quod ex sequentibus illius verbis patet. *Quid aliud*, inquit (t), *sono præsentat Ἰωβάκχος apud Græcos, quam Hebræorum IEHOVA seu IOVA, verum templi Hierosolymitani DEVM, quem gentiles astu Satanæ fascinati in turpissimum Bacchi idolum transmutarunt; perinde etiam atque Ἴακχος SS. Hebræorum יה exhibet.* Confirmat hanc sententiam Sam. Bochartus, (v) dum fatetur ex יה vel יהוה non operosa deductione fieri posse Bacchum, addita tantum termi-

(o) *Quæ ex nonnullorum sententia Ezech. IIX, 14. ab eadem Rad. dicuntur* מבכות *flentes, βακχεύουσαι, ex quo probare volunt, ea sacra etiam in oriente primum ac potissimum a fœminis fuisse celebrata, vid. Heins. l. c. p. 10. & Glass. l. c.* (p) *Quod Prouerb. XXIII, 29. dicitur de immoderato vini haustu, ex quo ἀσωτία.* (q) *Lib. 1. de arte amand. Conf. Persius Satyr. 1.* (r) *Vid. Heins. l. c.* (s) *Sic docet B. Calou. in Bibl. Illustr. Tom. II. ad c. XLVII. Ier. v. 1. 2.* (t) *In Miscellan. Conf. Barth. Mayeri Philol. Sac. p. 317.* (v) *In Geograph. sacr. Lib. 1. c. 18. p. 478.*

terminatione esset Iachus & per digamma Æolicum, Iacchus (x). Et hoc modo illa Græcorum acclamatio ad Bacchum facta ἐλελεῦ ἴακχε recte refertur ad Iudæorum laudicinium הללו־יה Ἀλληλȣΐα (y) Hoc vero ex Ebr. הלל laudauit & יה componi, ne semidoctos quidem fugit. Videmus ergo ex hisce, quomodo infensissimus ille generis humani Hostis ea, quæ soli Diuinæ gloriæ sunt destinata, ad abominandam Ethnicorum idololatriam transtulerit, eum tantum in finem, vt miseros homines sub veri cultus specie in profundissimam perniciei abyssum præcipitaret.

§. VI. Nec insulsa videtur sententia Dikinsoni, qui (z) Bacchum a solita Arabum ingeminatione بَخْ بَخْ quando rem aliquam laudarent vel admirarentur, nomen accepisse ait. Arabibus enim بَخّ significat grandem, magnum, præclarum. Hinc addit: *Arabes* igitur, vt verisimile est, quotiescunque Dionysium (quem solum arbitrantur Deum esse) laudabant, admirabantur aut venerati sunt بَخْ بَخْ clamare solent.

§. VII. Hi quamuis omnes prægnantes proferant rationes, quibus deriuationes suas confirmare allaborant, multi tamen sunt, qui illis calculum suum adiicere nolunt, sed ad Græcos fontes se conuertunt, dicentes, quod Bacchus sit furore percitus, ac proinde ἀπὸ τȣ̃ βακχεύειν (a) i.e. furore

---

(x) *Consentiunt B. Dillberrus in Disput. de κακοζ. Gent. p. 171. Hugo Sarfortus, l. 1. de Descens. Christ. ad Inf. p. 26. Voss. II, c. XIV. de Idolis p. 192.* (y) *Conf. Heinsius & Glass. loc. cit.* (z) *In Delph. Phœn. c. X. p. 106.* (a) *Sic vult Io. Boccatius de Geneal. Deorum L. V. c. 25.*

furore agitari dicatur (b). Alii ex βάζειν quod significat φλυαρεῖν nugaciter deblaterare (c), alii a coronæ genere, quæ Baccha dicebatur (d), deriuant. Quamuis autem de ratione denominationis eruditorum digiti non sint æquales: tamen, ad quorumlibet etiam castra transieris, fateri cogeris, Bacchanalia vi etymi indicare festiuitatem aut horrendam idololatriam importantem, (e) aut stolido ac intempestiuo fletu, (f) aut furore quodam Diabolico, (g) aut iniqua admiratione, (h) aut insulsa loquacitate (i) celebratam.

§. IIX. Deinde etiam inter Synonyma sunt Διονύσια, quod vocab. in genere significat ea, quæ ad Dionysium spectant, in specie autem ipsa Bacchanalia denotat, vnde Terentius, (k) *Dionysia, inquit, hic sunt, hodie apud me sis volo.* Ortum illud est a Διονύσῳ, cognomine Bacchi, vnde autem Διόνυσος sit, iterum diuersæ sunt diuersorum autorum sententiæ. Sunt enim, qui putant, eum quasi Διὸς νοῦν (l) Iouis mentem, solem enim mundi mentem esse dixerunt, mundus autem vocatur cœlum quod appellant Iouem. Vel ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι, quod circumferatur in gyrum (m), dici. Aliis vocatur vel παρὰ τὸ διαίνειν ἡμᾶς ἡδέως (n) quod suauiter nos irriget, vel quia Iupiter pluuiam demisit, cum natus fuit Dionysus, vt vult Aristodemus

(b) *Alias huius voc. significationes exhibet Lexic. Scap.* (c) *Vid. Neand. Hist. Bacchan. p. 23.* (d) *Rosin. Antiq. Rom. Lib. II, c. XI.* (e) *Si nempe ex τετραγραμμάτῳ, quod soli DEO Trinuno competit, deducitur.* (f) *quando a* בָּכָה (g) *Dum a βακχεύειν.* (h) *Iuxta §. 6. praced.* (i) *Si a βάζειν.* (k) *in Heautont. Act. I. S. I.* (l) *Cuius vocis significationem exprimit Dickinson. Delph. Phœn. p. 45.* (m) *Vid. Cleanthes & Neand. l. c. p. 27.* (n) *Quod Phornuto arridet in Speculo de Natura Deorum.*

demus (o), vel quod femur Διὸς Iouis ἔνυξε pupugerit, cum cornutus esset natus, Stesimbrotus (p) asserit; aut quia mentem, quam δία vocant, pungat & excitet (q). Vel ἀπὸ τῦ Διὸς a Ioue & Nysæis Nymphis, à quibus educatus esse fertur (r). Dicitur etiam Διόνυσος quasi Διδοίνυσος, a διδόναι οἶνον, quia sit vini dator & repertor: vnde in vindemiis faciem eius musto tingere ac ficis consuetudo fuit vetus. (s) Bochartus (t) ex eo formatum esse opinatur, quod DEVS Exod. XVII, 15. vocetur יהוה נסי, atque ita vocem illam hybridam esse. Dickinsonus (u) vocem illam pure Arabicam esse ostendit, eamque nihil aliud denotare quam Dominum Sinæ, seu Sinai ex Psalmo LXVIII, 9. Constituitur enim, inquit, ex ذو Du vel Dy Dominus & سيناى Sinai. Sina autem vel Syna per Metathesin fit Nysa. Ex quibus (pergit (x) satis liquet, Dionysii cultum ex Arabia delatum fuisse: nec aliud eo nomine quondam significari quam ذو سيناى Dominum Sinæ, Iehouam nempe τὸν κύριον τῦ σινᾶ, vel Dominum Nysæ.

§. IX. Et hæ Dionysiorum deriuationes, quas recensuimus, vna cum iis (y), quas compendii ergo studio omisimus, omnes ac singulæ aut de fabulis gentilibus, aut de impia ac blasphema festi celebratione testantur.

§. X. Nunc Liberalia etiam huc spectantia quod attinet, & hæc festum in Bacchi honorem institutum (z) denotant. Liberalia notante Varrone (a) ita dicta sunt, quod

B per

(o) *Ap. Natal. Com. p. 472.* (p) *Ap. Nat. Com. p. c.* (q) *Sic Iob. Diacono visum est, conf. Nat. Com. p. 505.* (r) *A Diod. Sic. L. 4. c. 2. Conf. Rosin. l. c. L. II. c. 11. Dresser. l. c. Bocat. l. c.* (s) *Cœl. lib. 7. cap. 15. ex Hesiodi interpr. & Plat.* (t) *De Phœn. Colon.* (u) *l. c. C. X. p. 105.* (x) *p. 108.* (y) *Vid. Christ. Neander l. c. it. B. Himmel. in Passion. Hom. IV.* (z) (a) *Vid. Varro l. 5. de Lat. Ling. conf. Rosin. L. IV. c. 7. it. Dresser. l. c. p. 59. & 60.*

per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes LIBERI, hedera coronatæ anus cum libris & foculo &c. Eodem Liberalium die toga libera adoleſcentibus pueritiam egreſſis dabatur: cuius rei cauſas Ouidius commemorat quatuor, dum ita canit:

Reſtat vt inueniam quare toga libera detur
Luciferis pueris, candide Bacche, tuis,
Siue quod ipſe puer ſemper iuuenisq; videris,
Et media eſt ætas inter vtrumque tibi,
Seu quia tu pater es, patres ſua pignora natos
Commendant curæ, numinibusq; tuis.
Siue quod es liber, veſtis quoq; libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter;
Aut quia cum colerent priſci ſtudioſius agros
Et faceret patrio rure ſenator opus,
Et caperet faces a curuo conſul aratro,
Nec crimen duras eſſet habere manus;
Ruſticus ad ludos populus veniebat in vrbem;
Sed Dis, non ſtudiis ille dabatur honos.
Luce ſua ludos vuæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet illa Dea;
Ergo vt tyronum celebrare frequentia poſſet;
Viſa dies dandæ non aliena togæ.

Et ſic etiam Liberalia a Baccho nomen acceperunt. Vocabatur enim alias Liber Pater (b), vel a liberamento, quod mares in coëundo per eius beneficium emiſſis ſeminibus liberentur (c); vel a linguæ licentia, vt plerique putant: nam potu vini, cuius inuentor credebatur, magis liberi morta-

(b) *Roſin. l. c. L. II, c. 11. conf. Vincent. Chart. Imagines Deorum p. 181. & Himmel. l. c.* (c) *Teſte Auguſtin. Lib. VI. de Ciu. D. cap. 9.*

mortales fiunt, vel potius quod animum curis liberet, & tristitiam pellat, vnde Ouid.

Cura fugit, multo diluiturq; mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ rugaq; frontis abit.

Seneca *Liber* inquit, non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quia liberum seruitio curarum animum asserit, vegetatque & audaciorem in omnes conatus facit. Sunt qui dicunt, quod in liberis ciuitatibus erecta in foro statua coleretur (d) eum liberum esse appellatum. Sed quicquam tandem sit, etiam Liberalia vi etymi varias actiones nefarias, nec non idololatriam implicant.

§. XI. Porro *Nyctelia* vocantur ἀπὸ τῆς νυκτὸς a nocte qua celebrabantur; vnde Virgilius (e) canit:

- qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq; vocat clamore Cythæron.

Ipse etiam Bacchus propterea vocatur *Nyctileus* siue Nyctelius, de quo Ouidius sequentia (f) habet:

Nyctileusq;, Eleleusq; parens & Iacchus & Euan(Bacchus vocatur.)
it. *Nycteliumq; patrem nocturnaq; sacra precare,*
Ne iubeant capiti vina nocere tuo.

quod nomen propterea impositum creditur Baccho, vel quod sacra eius noctu celebrarentur propter pudorem (g); vel quia per noctem vociferationis sic autor (h).

§. XII. Ex Virgilii carmine paulo ante allegato no-

(d) *Vid. Ioh. Baptist. Casalius de veteribus Ægyptiorum ritibus p. 75.* (e) *Lib. IV. Æneid. v. 301. seq.* (f) *Metam. lib. 4. & lib. 1. de Arte amandi.* (g) *not. Diod. Sic. lib. 4. c. 2.* (h) *Natal. p. 505.*

ua Bacchanaliorum occurrit denominatio, *Orgia* enim ibi dicuntur, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς a furore, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, a montibus, ad quam etymologiam Virgil. l. c. allusit. Vocantur autem Orgia trieterica siue triennalia, quia tertio quoque anno sunt celebrata in memoriam victoriæ Indicæ triennali Bacchi expeditione partæ, τριέτηρις enim triennium notat. (i).

§. XIII. Cum Bacchus quoque Sabazius sit dictus, & sacra eius Σαβάζια (Sabasia, audiunt, sic enim Oppianus Cilix (k):

οὐκ ἐθέλω τριέτη σὲ τὰ νῦν ὀρίβακχον ἀείδειν,
οὐκ χορὸν ἀονίου παρὰ βένθεσιν ἀσωποῖ.
λείψομαι, ὡς κέλεαι, τὰ σαβάζια νυκτερὰ θύθλα, i. e.
Nolo trietericum te nunc montanum Bacchum canere,
Nolo choreas Bœotici ad fluenta Asopi, missa faciam,
Vt iubes, SABASIA nocturna sacra. Dicitur autem Sabazius vel a tripudiis, quæ a furentibus fiebant, quod barbaris est σαβάζειν, vel a σαβοῖ, quæ vox bacchantium vt εὐοῖ, qua Baccho etiam acclamabatur (l).

§. XIV. Quam autem denominationem apud Germanos obtinuere Bacchanalia? Vocantur Fastnacht / quia tempore ieiunii dies præcedente celebrantur, seu vt alii volunt: Faßnacht / a doliis forsan siue a vini cadis, qui apud Pellenenses Lampteriam (ita Liberi Patris festum vocant) celebrantes passim per vrbem disponebantur (m), ac hodienum eo tempore maxime euacuantur ac euertuntur, id quod D. Gualterus innuere videtur, dum (n) scribit: Daß die

(i) *Monente Minellio ad v. 303. Æneid. Lib. 4.* (k) *l. 1. Cyneget.* (l) *vid. Henr. Stephan. t. 1. p. 1208.* (m) *Vid. Gerardi* von Stocken *Amœnitates Histor. p. 678.* (n) *In Inst.* von Anfechtungen *conc. 3.*

die drey Heidnische Feste Bacchanalia, Lupercacalia und Cerealia der Teuffel unter dem Nahmen der Fastnacht wunderlich zusammen gebracht / welches denn dieses Fests eigentlicher Nahme ist / dieweil darinnen die Wein- und Bier-Fässer gestürmet und geleeret / darzu die Menschen selbst / die des Heil. Geistes Tempel seyn solten / zu stinckenden Weinfässern und Weinschläuchen werden :c. Nec h. l. negligenda sunt verba B. Bakii (o), quæ ita se habent: Faßnacht dicitur quasi Fastennacht / ob frugalitatem, continentiam & temperantiam, cui merito iam studemus: sed multi nostrorum hominum putant, Faßnacht dici a vase, vel vinario vel cereuisiario, vom Bierfaß / daß man ietzo für den Faßen liegen / toll und voll seyn müsse / daß wenn mancher nur die Faßnacht nennen höret / so hüpffet er wie ein Roß / das die Striegel höret / und wolte lieber Weinachten / Ostern und Pfingsten emperen / als die vom Faß also genandte Faßnacht. Deinde etiam audiunt Mommereyen / Mommeur, quod iuxta nonnullos (p) a Lat. Momus originem trahit. Sed ex hac quoque deriuatione festiuitatis ἀσωτίαν & summam nequitiam recte coniicimus.

§. XV. Alia adhuc τῶ Carneual Synonyma addere possemus, nisi timendum esset, ne terminos præfixos transgrederemur. Vt igitur Thesin nostram stabiliamus, ita concludimus: Si Carneual stolido ac incondito clamore ac vlulatu, furore quodam Diabolico, insulsa loquacitate, impietate, blasphemiis aliisque nefariis actionibus Christianis indignis celebratur, quod ex antecedentibus luculenter

(o) *Reinhardi Bakii, SS. Theol. Doct. & Metropolit.* Magdeb. *Eccles. quondam Pastoris celeberrimi, in Euangel. Domin. Expos.* Part. *II Dom. Quinquag.* (p) *Anton. Verdieur præcipue ès diuers. Lecons. c. 19. &* Mart. Zeil. *Ep. 49. Cent. 4.*

apparet & in sequentibus fusius exponetur; stat sententia nostra firmo talo: Carneual non ex orbe Christiano traxit originem, sed a pessimo principio ad Christianos peruenit.

§. XVI. Vnde ergo & quando Bacchicum hoc festum est ortum? Certum quidem temporis momentum assignari hic nequit, fuit tamen iam apud Gentiles, & quantum ex Historiarum monumentis colligere licet, annis ferme 2000 ante Christum natum, celebre quoddam idolum siue *Bacchi* siue *Dionysii* siue *Liberi* nomine indigitatum, quod festum fuit annuum & ab *Ægyptiis* ac *Indis* primum celebratum. Clarissimus Neander sæpe citatus dicit: Autorem huius festi secundum Diabolum fuisse Chamum, Noai filium, eiusdemque irrisorem, in Ægypto, cuius rei argumentum esse putat, 1. quod Herodotus in Euterpe testatur, Ægyptios diem festum Baccho egisse multo ante quam Græcos, Chamum autem loca Iordani & Nilo vicina occupasse, & progressum esse versus meridiem, h. e. Ægyptum, quæ vocatur terra Cham Ps. CIV, 11. & CV, 22. 2. Herodoto suffragari appellationem. Apud Moabitas enim, pergit, *vt est Num. XXI, 29. Iud. XI, 24. 3 Reg. XI, 33. Ierem. XLVIII, 7. & 64.* idolum fuit Chamos, quod alio nomine vocatur Baalphegor teste Hieron. in cap. Esa. 15. Quin a Chamo idolum hoc nomen traxerit, nulla dubitandi caussa est. Sed multo minor, an simile quid cum Baccho idolum hoc habuerit: cum inde videatur esse comus, quem temulentiæ & comissationum fecerunt Deum & nocturnarum saltationum præsidem: cuius in militia auctorabantur iuuenes, qui coronati noctu cum facibus musicisque instrumentis ad amicarum fores saltandi canendique gratia concurrebant, procaciterque lasciuiebant, vt fores nonnunquam effringerent, teste

teste Philostrato περὶ εἰκόνων *imagine tertia*, hucusque Neander. Ex Ægypto in Græciam translatum, tandem Hetruriam ipsamque Romam propagatum est, quod Herodotus (q) his testatur verbis: ἕλλησι δὴ Μελάμπους ἐστὶ ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ διονύσου τὄυνομα καὶ τὴν θυσίην καὶ τὴν πομπὴν τοῦ φαλλοῦ, ad quod prouocat etiam Polydorus Virg. (r) qui ita scribit: *Bacchanaliorum autor fuit Melampus Amytheonis filius, primusque ad Græcos detulit ex Ægypto, vbi ea sacra fieri cœpere.* Quomodo deinde in Italiam quoque labes ista serpserit, perspicue tradit Liuius (s), *ignobilem quendam Græcorum* inquiens, *in Hetruriam primum venisse, nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima Gens inuexit, sed sacrificulum & vatem, nec eum, qui aperta religione propalam & quæstum & disciplinam profitendo animos horrore imbueret, sed occultorum antistitem sacrorum.* Et paulo post: *Huius mali labes ex Etruria Romam, velut contagione morbi penetrauit.*

§. XVII. Hallucinantur igitur, qui ex seqq. Virgil. Ecclog. V. vers.

Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit: Daphnis thiasos inducere Baccho
Et foliis lentas intexere mollibus hastas:

probare volunt, originem Bacchanaliorum in Italia ad Iulium Cæsarem, qui ex Armenia Romam ea primum transtulerit, esse referendum; longe enim ante Cæsarem, quem l. c. sub Daphnide quidam intelligunt, scelerum hæc seminaria Romæ inuestigata a Coss. & vindicata refert Liuius 4. 9.

§. XVIII.

(q) *in Euterp. l. 2. conf. Diod. Sic. l. 4.* (r) *De rer. inuentor. L. III. c. 17. Conf. B. Himmel. l. c. it. Herod. l. 2. Diodor. Sic. l. 4.* (s) *Libr. XXIX. Histor. n. 8. 9.*

§. XVIII. Ex Italia hæc labes in Germaniam quoque ſerpſit, de quo *Bonifacius Archi-Epiſcopus* quondam *Moguntinus*, qui Germanorum Apoſtolus vulgo habetur, ita ſcribit: *Animales homines tempora quædam anni habent, quibus inſaniunt*, crapula ſe degrauantes & inebriantes, commiſſationibus totos dies ac noctes vacantes, clamantes ferino more, ſaltantes & canentes cantiones obſcænas, quæ facile mores corrumpunt Bonorum (t). Ex his quilibet peſſimum illud Bacchanaliorum principium, lacunas nempe Ethnicis tenebris ſpurciſſimas perſpicit.

Thes. II.

Bacchanalia Ethnicorum & Carneuale Chriſtianorum quoad rem conueniunt, paucis ab hiſce mutatis, multis in deterius conuerſis.

Ἔκθεσις.

§. I.

INſigne lumen thæſis hæc præbebit antecedenti, quippe in qua Bacchanalia & Carneuale Synonyma eſſe affirmauimus. Hæc quamuis in Ἐκθεσ. annexis ſatis (vt ſperamus) probauerimus; res tamen in eorum collatione fiet clarior.

§. II. Gentilium Bacchanalia quod attinet, ea fuiſſe feſta omnium turpiſſima, nemo non intelliget, ſi eorum ritum

(t) *conf. Mutius initio Lib. 7. chron. Germ.*

ritum paulo clarius ostenderimus. De horum autem Bacchanaliorum solennitate multa multi tradunt, quorum circumstantias omnes ac singulas pagellarum nostrarum angustia non capiet, quare præcipua saltem capita adscribemus.

§. III. In Ægypto & Græcia Bacchanalia per anum deliram & temulentam, vnam forte ex Bacchi sacerdotibus, quæ speciali nomine appellabantur: Bacchæ, Thyades, Mænades &c. indicebantur (v). Quo facto Ægyptii, ad quos Bacchanaliorum initia retulimus, Baccho porcam præ foribus mactabant (x), & præterea phallorum loco, quos a collo pendentes gestabant Græci, excogitabant statuas cubitales, quæ fidiculis tractæ mouebantur tanquam viuæ, quas fœminæ collo circumferebant per pagos, præeunte tibia, quam Bacchum canentes sequebantur tam fœdo spectaculo, vt nihil improbius aut nequius foret (y). Cæterum maximam partem cum Græcis conueniebant, quare statim ad illos nos conuertimus.

§. IV. Pompa sacrorum Bacchicorum apud Græcos erat, vt primo loco duceretur amphora vini & κλημαῖις (quod Erasmo est fabæ genus, Cælio vitis, H. Stephano sarmentum seu flagellum, seu viticula, seu fascis flagellorum vel palmitum ex vite excisorum, a vite amputatorum;) post hircus (z) ab aliquo trahebatur, sequebatur alius ἰσχάδων ἄῤῥιχον, i. e. nucum sportulam, seu cistam caricis repletam (a), gestans; ab omnibus autem membri virilis (au-

C tor

(v) *Vid. Nat. Com. p. 489. seqq. Vicent. Chart. l. c. p. 181. Speidelius in Specul. obseru. p. 323. M. Io. Chr.* Lovritz *in Progr. de Bacchanal. Festo.* (x) *Herodot. in Euterpe, seu lib. 2.* (y) *Eodem Herodot. & Neand. l. c. p. 199. testibus.* (z) *Neand. l. c. p. 200. & Chartar. l. c. p. 189.* (a) *Iuxta Calium,* uit

tor enim generationis credebatur) e collo ſuſpenſa gerebatur figura, quam phallum appellabant ex ficulneo ligno dolatum; ſed apud Suidam legitur ex corio rubro hanc imaginem olim expreſſam fuiſſe, quam inter coxas ſuſpendebant, per vrbem diſcurſantes cum Bacchanalia celebrarent (b), & inde Phallophori dicebantur. Hos tamen ritus ſuo æuo neglectos eſſe, autor eſt Plutarchus (c), & geſtata interim aurea pocula, veſtes precioſas, agitatas bigas, & quemlibet perſonatum inceſſiſſe. Athenis Dionyſia erant alia parua ſeu *ἀρχαιότερα* (d) quod prius inſtituta erant, alia magna. Et hæc maiori licentia luxuriaque celebrabantur, dum Nympharum & heroum habitu aliquando ornati hedera, lymphati ac temulentis animis cum thyrſis velut inſanientes incederent. Quemadmodum autem plerumque talis ſit grex qualis Rex: ita & Proceribus circa Bacchanaliorum feſtum furentibus, miniſtri quoque furebant & non minori veſania ferulas geſtabant magna inſolentia & verborum licentia. De mulieribus idem affirmat Lucianus in Baccho cum ait: Mulieres inſanæ & furioſæ coronis hederaceis ornatæ, ceruinis pellibus indutæ, haſtulas quasdam paruas gerentes, quibus ferrum non adeſt: ſed thyrſo redimitæ ſunt, & ſcuta quædam leuiter reſonantia, &c.

§. V. De Romanorum in celebrandis Bacchanalibus veſania in probatiſſimis autoribus multa recenſere poſſemus, ſed pauca tantum ex ſequentibus iam adducimus, ex quo dirum illud malum facile cognoſcetur. Liuius *primo*, inquit

trockenen Feigen / *vid. Henr. Stephan. in Thes. voc. ἀρρίχος.* (b) *Teſtibus Luciano in Libell. de Dea Syria. Auguſt. de Ciu. D. Lib. 7. cap. 21. Neand. l. c. p. 200. Chartar. l. c. p. 188. Io. Bapt. Caſal. p. 77.* (c) *In libello περὶ Φιλοπλουτίας.* (d) *Vt Thucidid. l. 2. vocat.*

quit (e), *sacrarium id fœminarum fuit, nec quenquam virum eo admitti solitum. Tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. Sacerdotes inuicem matronas creari solitas. Pacullam Miniam Campanam sacerdotem omnia, tanquam Deum monitu immutasse. Nam & viros eam primam suos filios initiasse Minium & Herennium Cerrinios, & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. Ex quo impromiscuo sacra sint & permisti viri fœminis, & noctis licentia accesserit; nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum, plura virorum inter sese, quam fœminarum esse stupra. Si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari.* Cui addimus ea *Flauii Blondi* (f) hac de re *Nudi* inquientis, *viri cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis & virginibus ad sacra conueniebant, quæ non nisi nocturna erant, caput omnes pariter femoraliaque pampinis & vuarum racemis cincti, alios item vuarum racemos in manu habebant & tumultuario inuicem commixti cœtu in sublime saltantes, variaque gesticulatione brachia, ceruicem, caputque mouentes carmen inconditum Baccho cantabant, nec prius erat saltationis modus, quam defatigati & toto corpore vacillantes partim resupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pauimentum fanatici amentesque procumberent, vt recte senserit Marcus Varro, talia nisi ab amentibus fieri non potuisse.* Breuius de his loquitur Tertullianus (g) seq. in modum: *Baccho Italico furias vestras immolatis luxu, commissationibus, vlulatu, couuitiis, propudiosis gesticulationibus, non minore*

(e) *Lib. XXIX. n. 13.* (f) *Lib. 2. de Roma Triumph. vid. etiam Rosin. l. c. L. IV. c. 17. Conf. Ouid. 3. Fastor. & Polyd. Verg. l. c. l. 3. c. 17.* (g) *In Apolog. aduers. gentes cap. 61.*

11

Vesania, quam fanatici solent. Quæ paulo fusius explicat Augustinus (h) cum ait: In Italiæ compitis quædam sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur: non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis & vsque in vrbem postea vectabatur. In oppido autem Lauinio, quod est in Latio, vnus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis vtebantur, donec illud membrum per forum transvectum esset, & suo loco quiesceret. Cui membro inhonesto matrem fam. honestissimam palam coronam necesse erat, imponere &c.

§. VI. Ex iis, quæ hactenus adduximus, nunc sacrorum Bacchi signa turpitudinis nefanda colligere sigillatimque recensere possumus. Sunt enim 1. *Phallus*, quem non tantum per pagos cum cantu & tibia fœminæ circumferebant; sed cui etiam matrem familias honestissimam coronam necesse erat imponere, vt §. antec. diximus. 2. *Verborum licentia*, turpitudo & obscœnitas, quæ facile in mentes irrepit, moresque quamuis a natura puros putosque corrumpit. 3. *Promiscua stupra.* 4. *Horrendi boatus & clamores, furiosæ vociferationes.* 5. *Iniurgitatio vini nimia.* 6. *Quod mulieres Baccho sacra fecerint* (i) &c.

§. VII. Et hæc sunt, quæ tam ex Ægypto & Græcia quam ex Italia Gentili de Bacchico festo præmittere voluimus. Iam vero adhuc hodie solennia hæcce a modernis Italis

(h) *Lib. VII. de C. D. c. 21.* (i) *Pudor enim naturalis non patitur, fœminas inter viros versari, vt ait Imperat. L. 14. C. de contrah. & committ. stipul. conf. 1. Cor. XIV, 34.*

Italis celebrari quis nescit ? At sunt hi toto gradu Christo proximiores quam alii Christianorum nomine insigniti, ipse enim sanctissimus D. Petri successor (quem ipsi quidem vocant) ipsorum terras regit : Ipsa Ecclesiæ mater Romæ floret, vno verbo : Omnis sanctitas Romæ nasci videtur ; quis ergo credere vellet, Italos hodie abominanda Gentilium superstitione & horrenda Idololatria sanctitatem suam grauissimam adeo polluere ? Attamen personati incedunt, laruas igitur illis detrahamus. Bacchantes ecce ! gentilibus, imo ipso Bacchanaliorum inuentore Diabolo peiores prosiliunt, qui gentili impietati suam non tantum æquant, sed illam hac longe superant. Vt autem & hoc fiat clarum, actiones eorum paulo curatius intuebimur.

§. IIX. Ingressum quod attinet, Carneual quotannis initium habet tribus aut quatuor hebdomatibus ante tempus quadragesimale, in magistratus enim potestate est situm, quota hebdomade ante sacrum hoc tempus vesanam festiuitatem auspicentur bacchantes. Quando igitur illi visum est, per præconem eam publice in plateis intimari iubet, quo facto cuilibet ex voto insanire licet. Sed quid hoc est aliud, quam Baccharum temulentarum, Bacchi sacerdotum, quæ apud Gentiles in Ægypto & Græcia Bacchanalia indicabant (vt supra ostendimus) munere fungi ?

§. IX. Quæ autem circa progressum, seu ipsa solennia hæc obseruantur ? Intimato hoc festo omnis generis homines, maschera siue larua & variis vestibus monstrosis tecti in publicum prodeunt, ita, vt stultorum talium plena sint omnia, qui varios agitant ludos saltationum admodum lubricarum & impudicarum, comœdiarum, talorum ; verba parum honesta in alios sibi occurrentes pronunciant, a quibus vicissim verbis haud dissimilibus stringuntur, ad-

eo, vt a verbis ad verbera, mutilationes & transfoſſiones perueniant. Quis igitur ex his & iis quæ ſup. §. adduximus non intelligit, etiam haſce actiones ne homine quidem, nedum Chriſtiano dignas a Gentilium ſæuitia ad Chriſtianos hoſce redundaſſe, præcipue quod laruarum attinet vſum. Græci enim in feſtis Bacchi fecibus ora aſpergebant (k), & ſpeciatim ruſticorum pubes induebat corticum quasdam formas, quibus riſum cæteris mouerent, quod ex Virgilio notum eſt, qui bacchicam feſtiuitatem (l) ita deſcribit:

Nec non Auſonii Troia gens miſſa coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto
Oraque corticibus ſumunt horrenda cauatis.
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

§. X. Celebrantur inſuper conuiuia, commeſſationes, compotationes diurnæ & nocturnæ. Nonnunquam, Hoſpiniano (m) teſte, ſic deformati ſunt Bacchantes, vt figuram omnem humanam prorſus exuiſſe diceres: nam cornuti, roſtrati, dentibus aprinis, flammantibus oculis, fumum & ſcintillas ex ore exhalantes, curuis vnguibus, caudati, hirſuti denique & monſtroſi, terribiles cacodæmones videri atque timeri affectant. Inueniuntur ſaltantes Satyri vel tripudiantes mimi, vel tumultuantes Diaboli; hic hiſtrio, illic funambulus &c. ſub hiſce laruis, vt ex eorum ore, qui Romæ nati ſunt, & ſpectacula hæc ſæpiſſime ſuis

---

(k) *Hinc Horat. in arte Poët. canit:*
Ignotum tragicæ genus inueniſſe camœnæ,
Dicitur & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis
Quæ canerent, agerentque peruncti fecibus ora.

(l) *Lib. 2. Georg. v. 385.* (m) *in Tractatu de feſtis Chriſtian.*

ſuis oculis viderunt, percepimus, Principes & ſeculares & Eccleſiaſtici ſunt occulti, qui ſuper currus triumphales laruati incedere, & multa Chriſtianis indigna patrare ſolent, paucis: Homines in primis Quinquageſimæ diebus (ſunt verba Hoſpiniani)(n), ita inſaniunt, vt, ſi quispiam Græcorum aut Romanorum illorum antiquiſſimorum ad nos rediret, ſua Bacchanalia & Lupercalia agi ſancte iuraret, ſi phallos excipias, non pauca reperiret, quibus Chriſtiani Græcos & Romanos Ethnicos inſania atque furore ſuperant. Hi namque non nouis ſubinde ſed iisdem, & quidem certis ritibus atque pompis, quas ſibi ipſis præſcripſerant, quotannis repetierunt. Chriſtiani vero ſingulis annis, ſingulis oppidis, atque vicis nouas pompas producunt. Et quis blasphemias, laſciuiam, adulteria & alia, quæ a perſonatis hiſce iniquiſſime patrantur, vna lingua efferre valet. Egregie quoque hos bacchantes depingit Poeta ille Latinus, Baptiſta Mantuanus carmelit. in ſuis Faſtis, vbi ita canit:

Hic memorare libet quoddam graue temporis huius
Crimen: & ipſius ſubiungere criminis ortum.
Roma Lupercales ludos antiquitus iſto
Menſe celebrabat: poſita grauitate per vrbis
Compita curſabant ſtolidi ſine veſte Luperci,
Et ſcuticis olidi tractis de tergore capri
Pulſabant nuruum palmas: quia verbere tali
Pana deum faciles credebant reddere partus,
Iſta ſuperſtitio, leuis hæc inſania noſtros
Tranſiit in mores. Veteris contagia morbi
Hauſimus, & quodam ſimili languore tenemur.

Nam

(n) *Verba ſunt Hoſpiniani l. c. p. 37. extantia.*

Nam iuuenis istis facit insanire diebus
Pan Dey Arcadiæ quondam: totasq; per vrbes
Currere: & acceptis facies abscondere laruis.
Est pudor in facie: facies velata pudorem
Significat læsum: sciri lasciuia non vult,
Ora tegit: scelus est pauidum, metuisse videri.
Cuncta sub ignotis petulantia vultibus audet,
Quæ ablegat grauitas & quæ præscribit honestas.
Per fora, per vicos id personata libido:
Et censore carens subit omnia tecta voluptas:
Nec nuruum palmas, sed membra recondita pulsat:
Perq; domos remanent fœdi vestigia capri.
Hoc quoq; Roma leui cursu gaudebat equorum
Tempore; & in Martis celebrabat Equiria campo.
Altera nil melior nuper dementia venit:
Sordida produxit vetitos comœdia ludos.
Scorta, ambulaias, balatrones & parasitos,
Et genus id reliquos trahit in proscenia mensus
Improbus: vnde trahunt iuuenilia pectora pestem
Mortiferam: fiuntq; ipsæ sine fronte puellæ.
I, pudor in villas, si non patiuntur easdem:
Et villæ vomicas: vrbs est iam tota lupanar.

§. XI. Quo ergo ab Ethnicis bacchantibus differunt hi Christiani? Adsunt exclamationes, luxuries, percursationes in plateis, laruæ, furiosus tumultus, imo summa insania(o), quæ his cum illis omnia sunt communia. At differunt tamen in eo, quod porcam Baccho mactarent Ægyptii, & hircum traherent Græci, moderni vero Bacchantes minime: sed resp. hos quidem nec hircum trahere, nec por-

(o) *Vt loquitur D. August. L. VI. c. 9. de Ciu. D.*

porcam, sed Boues mactare, quod fit dum (Venetiis præcipue, quantum nobis notum est) non solum, a Nobilibus florentissimis boues magna violentia per vrbem & plateas agitantur, atque in rabiem rediguntur, ita, vt eo tempore nemo in plateis tute ambulare possit; sed & die Iouis cinerum diem præcedentem bouis alicuius caput ceruice vno ictu abscinditur. Adeo non huius seculi filiis, sed brutis & bestiis similes sese gerunt Christiani Romanenses. Et hoc modo instar rabidorum & sana ratione priuatorum grassantur vsque ad duodecimam vltimæ noctis horam, qua ipsa multi ex nequitiæ theatro ad sacerdotem percurrunt, cineresque petunt consecratos (p). Cuncti enim qui delictorum veniam precibus a Deo impetrare satagunt, cineribus consecratis more Iudæorum a sacerdote asperguntur sub hac formula: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris in Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti amen.* Id quod & Bacchantium multi obseruare, & sic eodem ferme momento & Diaboli & Christi discipuli esse volunt, quasi Deus ex palude accurrentes sues statim amplecti teneretur.

§. XII. Et hanc vesaniam etiam Turca aliquis non sine vitio nostri suis indicauit, qua de re Augerius Busbequius (q) ita scribit: *Quo* (quadragesimali) *tempore apud nos etiam in bene moratis ciuitatibus, nedum in castris omnia perstrepunt ludo, choreis, cantu, clamoribus, comessationibus, ebrietate, furore denique & insania: vt non frustra creditum sit, hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii causa legatus venisset, reuersum domum retulisse,*

(p) *Vid. Polyd. Verg. l. 6. c. 3. conf. Præ-Illustris ac Excellent. Dn. Wilduogelius, Patronus noster æternum deuenerandus in Disp. de eo quod Iustum est circa tempus Quadrages. p. 15.*

(q) *In Legationis Turc. Epist. 3 p. 189.*

lisse, Christianos certis diebus baccbari & furere, donec genere quodam cineris in templo resperso redirent ad se, & conualescerent. Pudeat igitur vos Christianos, qui tanto exterorum ludibrio vos exponitis! cognoscite, quanto pudore infensissimi nominis vestri hostes vos perfundunt! Turcæ enim, quamvis etiam bacchanaliis delectentur, minime tamen adeo grassantur, nec omnem humanitatem deponere student, vt inter Christianos a multis fieri solet. Id quod ex Domini de Monconys (r) itineratio præcipue patet, dum describit: Unter denen Leuten / die des Nachts zu Fuß und Pferd mit einem hauffen Pech-Kräntzen und Fackeln herumb schwärmen / ist auch der Souschbschi, und der Cadi Larsa. Und das ist ihr (der Türcken) Carneual, womit es aber nicht viel zu bedeuten hat. Es waren nur etwa 6. oder 4. wohlgekleidete Jungens / welche ihrer Väter / die etwan Obermeister seyn möchten / Stelle vertraten. Das merckwürdigste unter allen war die grausame Menge Volcks / welche theils mit / theils ohne Ordnung vor dem Mesep herlieffen. Sehr viel Lust-Feuer wurden vor einer Kirchen angezündet / auch die Gassen mit ansehnlich viel Lampen erhellet / welche ihrer Art nach allerhand Bilder und Figuren vorstelleten.

§. XIII. Quærat autem aliquis cur Pontifex fœdum hunc & Christianis indignum bacchandi ritum non abroget? nos responsum ferimus tale: Pontifex aut serio non vult aut non valet Bacchanalia abrogare. Si hoc, valde periclitatur quam affectat infallibilitas apud ipsos Romanæ Ecclesiæ addictos, hi enim si Rom. Pontificem sanctissimum Patrem atque infallibilem esse non in dubium vocarent, saltem non plurimi legem de non celebrandis Bacchanalibus vio-

(r) Dessen Reise in Asien und das gelobte Land heraus gegeben M. Christian Juncker 1697. *verba alleg. vid. p. 293.*

violarent. Illud igitur præferendum videtur, quod abrogare nolit, nec hæc ſententia fundamento caret, notum enim eſt, remiſſionem peccatorum a Pontificiis pro pecunia impetrari, quando igitur multa patrantur peccata, multi etiam in clericorum pera nummi ſonant. Verum ſic Pontificia ſanctitas auaritiæ ſcopulis alliditur, vt eius veſtigia vix remaneant. Et quis eſt, qui mihi non aſtipuletur? præcipue quando conſiderat, quam turpiter in foro Papæ ſcrutario peccandi etiam licentia pro argento vendatur, cuius rei exemplum in perpetuam malitiæ memoriam his verbis conſignauit Cureus (s): Anno 1248 kamen etliche Päbſtliche Legaten gen Breßlau/ welche der Pabſt Innocentius der Vierdte vom Concilio zu Lion hin abgefertiget/ daß ſie umb Hülffe wieder Käyſer Friedrichen den Andern/ welchen die Päbſte dazumahl hefftig verfolgten/ anhielten: Und damit der Pabſt bey dieſem einfältigen Volcke deſto ehe etwas erhalten könte/ ließ er ihnen verkündigen/ daß hinfort die Faſte nicht am Sontag Septuageſ. wie bißher der Kirchen in Griechen-Land Brauch nach/ ſondern wie bey den Römern/ was langſamer angehen/ und man etliche Tage zuvor Faßnacht halten und fröhlich ſeyn ſolte. Alſo hat der Pabſt/ weil dem verſoffenen Völcklein die Faſtnacht lieb/ Pfennige bekommen.

§. XIV. Sed ſcateret Italia omni nequitiarum genere, ſi modo ad noſtros terminos eius non deriuarentur riui. Et hoc eſt, de quo nos Euangelici, qui doctrinam reformatam ac ab erroribus papiſticis & ſuperſtitionibus purgatam profitemur, queri cogimur. Experientia enim teſtatur, quod circa idem ieiuniorum tempus multis in locis non vulgus ſolum ſed proceres quoque magiſtratus vicem geren-

(s) *Ioachim Cureus* in der Schleſiſchen und Breßlauiſchen *General Chronic. p. 69.*

tes laruati incedant, veſtes mutantes ſexum mentiantur, nunc ciues, nunc ruſtici, nunc ſerui, nunc Iudæi, nunc Turcæ habitum præ ſe ferant; laſciuis ſaltationibus, variis geſticulationibus mimicis, comeſſationibus, compotationibus &c. indulgeant & quemlibet doleat, ſe non maiori dementia hæc omnia aut plura exercere poſſe. Sic & inferioris ſortis homines bacchantes caudis vulpinis, nolis, crepitaculis inſtructi, vicos & vias omnes perreptant, e ruſticorum culinis fumantibus placentas, carnes, panes emendicant, e calendario quodam veteri vel ineptiarum quid eructantes, vel puerorum turbam inconditis quibusdam geſtibus allicientes. Hæc platea milites habet, altera pharetratos; tertia medicum, mulæ cum vitro vrinæ capaciori inſidentem; quarta Pontificem laruatum, qui a Cardinalibus fictis pompatice deportatur: quinta Venatorem cum canibus, venabulis, retibus, cornu, frondibus, &c. Ora demeſticorum ita ſunt pinguia, vt faciem tuam ceu in ſpeculo videre ibidem poſſes (t). Vt propterea Maximus Taurinenſis (v) in eos Chriſtianos, quos in Bacchanalibus perſonatos diſcurrere iuuat, acerrime inuehatur, eos miniſtros dæmonum, quorum furor omnem excedat inſaniam, ipſasque diſcurſiones luſum dæmonum, mendacium, turpitudinem & tenebras vocet.

§. XV. Et his ineptiis Mummerorum nonnulli ita ſunt obcæcati, vt earum patrocinium nihilominus quærant in ſcripturis, adducentes exemplum Iacobi, qui pelles hædorum induebat, Gen. 37. Gabeonitarum, qui veſtimentis veteribus induti Ioſuam compellantes pacem quæſiuerunt

(t) *Vt Iacob. Herrenſchmid de Bacchanalibus p. 15, 16, 27, 28. &c. ſcribit.* (v) *Gallia Epiſcop. Homil. in Feſt. Circumciſionis Chriſti.*

runt & impetrarunt. Iof. 9, 5. Micholis coniugis Dauidis, quæ vt maritum periculo eriperet, ſimulachrum lecto imponebat, & pelles caprarum ad caput ſimulachri. 1 Sam. 19. Prophetæ os & oculos coram Achabo Rege pulueris aſperſione mutantis, 1 Sam. 19. Sed ineptæ ſunt laruatorum & mummerorum obiectiones, quas pleno cornu refellit Iacob Herrenſchmid (x).

§. XVI. Huc referri etiam poterit Philippus Cauriana, Italus, qui Italorum mores forte reſpiciens Bacchanaliorum celebrationem populo permitti poſſe probare auſus eſt (y). Verum magis pie Manzius ſedecim argmentis in medium prolatis docuit (z) Bacchanalia ex calendario eradi & in omnibus Rebuspubl. prohiberi debere.

THES. III.

Christiani omnes ac ſinguli Bacchanalia dicto modo celebrantes, Gentilibus bacchantibus ſunt iniquiores.

Ἔκθεσις

§. I.

HVius noſtræ Theſ. veritas (1) patet inde, quod Chriſtiani ſciant, ſe eſſe homines ad ſanctiſſimi pariter ac iuſtiſſimi Dei imaginem conditos, quam bacchantes peſſimis ſuis ineptiis atris carbonibus, pice, fuligine aliisque dehoneſtamentis fœdant. Perpendat

(x) *l. c. p. 31. & ſeqq.* (y) *In comment. ad priores Annalium libros Cornelii Taciti.* (z) *Deciſ. Palat. quæſt. 50.*

dat quæso B.L. quantum sit dedecus ? Deus formauit hominem ad imaginem suam, & ecce! insani hi brutorum cornutorum, rostratorum, caudatorum, hirsutorum, interdum etiam monstrorum, imo ipsius Diaboli figuram induunt. Tantum igitur abest, vt hi templum Dei esse possint, vt potius maligno illi spiritui corda sua sanciant, illiusque imaginem assumant. Dicis: Si imago Dei est spiritualis & omnium corporalium expers, sequitur quod carbonibus, pice, fuligine &c. non possit maculari. Resp. cum B. D. Baiero: *Subiectum QVO* imaginis diuinæ *specialiter* sic dictæ fuisse quidem facultates animæ humanæ, *Intellectum nim. Voluntatem & Appetitum sensitiuum*, interim tamen negari nequit, Deum homini ex parte corporis quoque contulisse aliquam sui imaginem, quatenus non tantum perfectiones animæ per actus externos corporis se exseruerunt, sed præterea ipsa membra corporis organici analogiam quandam habent ad attributa diuina, ipsa enim Scriptura sacra per ἀνθρωποπάθειαν Deo adscribit oculos, aures, manus. Vultus quoque ad cœlum erectus Diuinæ maiestatis speciem præbet (a) &c. Hæc autem membra, imo totum corpus dicto modo immaculari posse, & vere immaculari tempore Bacchanaliorum præcipue satis cognoscimus. Deinde pessimas has Bacchantium actiones fieri contra leges, & consequenter peccata esse maxima satis clare ostendi. Iam vero quilibet nouit, protoplastos nostros imaginem Dei specialiter sic dictam seu concreatam sapientiam, iustitiam & sanctitatem peccando non maculasse saltem, sed plane amisisse (b), humanamq; naturam post lapsum intime corruptam esse.

(a) *vid. laudatus Theolog. in Comp. Theol. Posit. Loc. de Imag. Dei.* (b) *id quod negant Sociniani, vid. Smalzius Disp. 2. contra Franz. & Catech. Racou. fol. 250.*

esse. Cum etiam amissa hæc Dei imago in homine a Spiritu S. non nisi regeneratione & renouatione reparetur (inchoatiue), peccatorum tempore Bacchanaliorum patratorum effectus facile cognoscitur, quippe quibus operationi Spiritus S. resistitur & reparatio ipsa impeditur. Ipse enim hic generis humani hostis est laruatus, qui apparuit iam sub specie serpentis Gen. 3. iam sub specie defuncti Samuelis 1. Sam. XXIIX. iam sub specie Angeli lucis 2. Cor. XI, 14. iam sub bouis, Draconis &c. larua. Ipse est personatus mummerus, qui Christum etiam accessit in mendici larua, in monarchæ purpura, in sacrificuli veste (c). Interdum leporis, interdum anseris, interdum mustelæ formam induit & diserta voce minatus est, se vrbem incensurum (d). Nec fugit porro eiusmodi tumultuantes, comessationes ac compotationes nocturnas esse contra interdictum Esaiæ Prophetæ (e), CHRISTI (f), & Pauli Apostoli (g): & in specie μωρολογίαν huius præceptis certissime contradicere (h). Notum est, vestium mutationem, qua sexum mentiuntur, pugna-

(c) *Matth. IV. vbi quidem hæc verba expresse non leguntur, ita tamen locum hunc interpretatur celeberrimus Theologus supra citatus, D. Bakius in Euang. Dom. Exposit. P. 2. p. 37. cuius verba ita se habent :* Dæmonem ad Christum venisse in forma religiosi viri Caietanus ex accessu collegisse dicitur : sed incertum hoc est, dicere tamen possumus ex textu, in deserto Satanam apparuisse sub larua mendici, in monte sub larua potentissimi monarchæ, in pinnaculo autem templi in specie deuoti Theologastri. *Idem quoque ICTO consummatissimo, B. Bened. Carpzou. placent, cuius vid. Consistor.* (d) *Fincelius* von Wunderzeichen. (e) *Cap. V, 11. 22.* (f) *Luc. XXI, 34.* (g) *Rom. XIII, 13. Eph. V, 18.* (h) *Eph. V, 4.*

pugnare cum lege Diuina (i), cum lege (k) naturæ, cum lege humana (l), & in specie quoque cum Iure Canonum (m).

§. II. Deinde etiam perpendere deberent nostri, a quo nomen adepti atque ex gentilium cæcitate liberati sint. Verum ne perpendunt quidem, turpissimam illam vestium mutationem in Christi contumeliam fieri, qui cum despicatui ab Herode habetur, alba fuit veste amictus (n), & chlamyde coccinea indutus a militibus (o). Nec de gestatione coronarum cogitant, quæ ipsa quoque in ludibrium Christi fieri videntur, quem spinea corona a militibus oneratum potius quam ornatum sacer dicit codex (p). Paucis: Sunt crucis Christi inimici, dum eo tempore, quo sancta Ecclesia pie recordatur passionis dominicæ & satisfactionem Christi pro peccatis nostris inculcat, pessimos hos actus exercent, & cum ethnicorum Bacchanalia esse debeant Christianorum Passionalia, iuxta illud Petri: *Sufficit nobis,*

(i) *Deuter. XXII, 5.* (k) *de quibus verba Ambrosii notatu digna sunt, qui Tom. III. Epist. 15.* si vere discutias, *inquit*, incongruum est quod ipsa abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse, quod natus es? cur aliam tibi assumis speciem? cur mentiris fœminam, vel tu fœmina virum? Suis vnumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diuersus vsus, diuersus color, modus, incessus, diuersæ vires, diuersa vox est in viro & fœmina. (l) *Vlp. l. vestis. 23. §. 2. Verb. muliebria. ff. de aur. arg. mund. leg. vbi dicit, muliebribus virum non facile vti posse sine vituperatione.* (m) *in C. si qua mulier 6 dist. 30. vbi ex Gangrensi concilio mulier anathemati subiicitur, quæ virilibus vtitur vestimentis.* (n) *Luc. XXIII, 11.* (o) *Matth XXVIII, 28. vel purpura Marc. XV, 17. Ioh. XIX, 2.* (p) *Matth. XXVII, 29. Ioh. XIX, 2. Marc. XVI, 17.*

nobis, quod anteacto vitæ tempore voluntatem gentium patrauerimus, cum versaremur in lasciuiis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus &c. 1 Pet. IV, 3. ipsi euertunt, vt ipsis sancta Passionalia sint Bacchanalia, **Aus der Fastnacht machen sie Fraßnacht.**

§. III. Et hæc omnia Gentilibus erant ignota, & tamen ex lumine naturæ cognoscebant sapientiores, bacchantium eiusmodi actiones brutis potius quam hominibus ratione præditis competere. Quare cum Orgiorum Bacchicorum prætextu multa scelesta, & nefaria facinora designarentur apud Græcos, obstruere mali huius fontem, tantamque turpitudinem abrogare conatus est Pentheus, Rex t. t. Thebanorum, sed parum prospero successu. Proditum enim est fabulis, & Bacchas in Pardales a Baccho, & Pentheum in Taurum mutatum: & hunc ab illis vnguibus fuisse discerptum: tametsi aliam causam & formam mortis produnt *Euripides in Bacchis* & *Ouid.* (q). Quod autem hic voluit, Diagondas Thebanus potuit & perfecit, primus enim apud Græcos omnia nocturna sacrificia propter eorum turpitudines perpetua lege sustulit (r).

§. IV. Apud ipsos quoque Romanos hæc sacra, cum procedente tempore ex diurnis nocturna fierent (inde Nyctileia appellata sunt (s) viri fœminis permisti essent, nihilque ibi facinoris nihil flagitii prætermitteretur, sunt abrogata, Liberque Pater Senatus auctoritate non modo vrbe, sed & vniuersa Italia est eliminatus (t). Vt vero Zizania etiam

(q) *Vid. Ouid. Lib. Met. III. Fab. 9. & seqq. Nat. Com. p. 494.*
(r) *Referente Cicerone de legib. L. II. p. 444.* (s) *Teste Seruio in 4. Æneid. & Nyctileius Pater Bacchus est dictus, ap. Ouid. 1. de Art. am. & 4. Met. Fab. 1. Nyctileus.* (t) *Referente Liuio L. 39. n. 17. Tertull. in Apolog. adu. Gentes c. 6. August.*

iam aliquoties reuulsa tamen sæpe repullulant: ita Bacchi Orgia, quæ dudum iugulata videbantur, reuixerunt, ex quibus, instar hydræ Lerneæ vno capite reciso, plura sunt renata. Posteri enim Rom. aduersus maiorem autoritatem ea reduxerunt, Bacchoque Italico, vt *Tertull.* loquitur, furias suas iterum immolarunt, & Mense Martio luxu, commissationibus, vlulatu, conuiuiis, propudiosis gesticulationibus, non minore insania quam fanatici indulserunt. Sub Valente imperatore Arriano, qui circa annum Christi 365 vixit, initiati Orgiis Bacchi, cum parmis, non in occulto tanquam sub pio aliquo Imperatore, sed palam per medias plateas cursitabant, canes discerpentes, insanientes, bacchantes aliaque dictu visuque fœda perpetrantes (v). Theodosius Imp. tandem qui Gratiano successerat, A. C. 388. ea funditus sustulit, prorsusque aboleuit (x). Et quis ignorat, Scytharum barbarissimam gentem semper probro dedisse Græcis consuetudinem celebrandi Bacchanalia, negantes rationi consentaneum esse, excogitare Deum, qui ad insaniam homines adigat (y). Quare etiam (Herodoto in Melp. teste) iis, qui externos ritus introduxissent, capitales pœnas irrogarunt, eamque ob causam Anacharsin & Scylen, quod nim. Græcis ritibus delectarentur, obtruncarunt.

§. V. Quæ cum ita sint, eorum magistratuum Christianorum constitutionem, qua personas induere (Masqueraden tragen / sich verkleiden / oder in der Mommerey gehen) capitale est, nimii rigoris nemo ingenuus accusabit. Talem autem legem promulgauit Franciscus I. Galliæ Rex, in qua laruarum vsum e medio sustulit (z). S. C. Parisiensi 25 April. 1514

de C. D. l. 6. (v) *Theodor. Lib. 4. cap. 20.* (x) *Vid. Melancht. l. 3. Chron.* (y) *Herodot. l. 4. c. 28.* (z) *Vid. Gesner. in Orat. de Bacchan. A. 1600. Witteb. excusa. Conf. Speidel. & Besoldus l. c.*

1514 cautum fuit, ne quis mercator laruas haberet, neue proponeret venum vspiam. Angliæ quoque Reges capitale indicarunt delictum, si quis personatus, & laruatus incederet (a). Quare ab Anglis hanc præcipue ob causam, quod vestes & arma vtilia sumsisset, concremata fuit Iohanna, virgo de Orliens (b). Vide est, quod vna Anglia omnium regionum est, quæ eiusmodi personatas belluas hactenus non vidit, nec videre quidem voluit (c).

§. VI. Extat etiam in scelestos laruatos lex Veneta anni 1549. 18. Iul. Consilii X. virorum, quæ cuicunque facultatem impertitur impune eos interficiendi, & mandat pagorum communibus, vt contra illos pulsent campanas, eos capiant & interficiant: conceditque eorum arma, equos, denarios, & quodcunque penes illos reperitur interfectoribus (d).

§. VII. Pientissimum quoque est B. Electoris Sax. rescriptum ad Superattendentem & Senatum Annæbergensem (e) quod ita se habet: Wir haben euern unterthänigsten eingeschickten Bericht / wegen des bißherigen bey eurer Stadt umb Fastnachts Zeit unchristl. ärgerl. verlarffte Umlauffens / und dabey verübten Schand und Laster / verlesen hören. Wie wir nun darob ein ungnädigstes Mißfallen tragen; Also ist hierauff unser ernster Befehlig / Ihr der Superintendens wollet wieder solches Ubel auf der Cantzel / Ihr der Rath aber bey Tage und Nacht auff der Strassen und in Häusern euch euers Ampts gebrauchen / die Wache stärcken / den Verbrechern fleißig nachtrachten / und nicht allein dieselben / sondern auch

(a) *Polyd. Verg. l. c. l. 3. c. 17.* (b) *Vt tradidit Gerard. tom. 2. d. l'Histoir. de France lib. 22. fol. 828.* (c) *Vt de ea scribit Pol. Verg. l. c.* (d) *Losaus de Iure Vniuers. p. 79. n. 53.* (e) *d. 20. Febr. A. 1628.*

die Ihrigen / so ihnen hierzu Vorschub und Unterschleiff erweisen / andern zum Exempel und Abscheu in gefängl. Hafft und ernste Straffe nehmen / und diesen unsern Befehlig zu männiglichs Verwarnung nechstkommenden Sontag in der Kirchen nach der Predigt öffentlich ablesen rc.

§. IIX. In Ducatu Würtenbergico Bacchanalia sub pœna carceris prohibita sunt his verbis: Dieweil das Mommen und die Butzen-Kleider / sonderlich die / da sich Frauen in Manns- und Männer in Frauen-Kleidern verstellen / vor GOtt ein grosser Greuel ist / auch viel Schande und Laster darunter geschicht / so verbieten wir ernstlich / daß niemand zu einiger Zeit des Jahres mit verdeckten Angesicht / oder in Butzen-Kleidern gehen soll / bey Straffe des Thurms oder Narren-Häußleins (f).

§. IX. Quis ergo dicta vtroque perlustrans oculo non intelligit Bacchantium Christianorum (vt quidem audire volunt) iniquitatem! Quis est, quin nobis eos gentilibus bacchantibus esse iniquiores statuentibus suum calculum sponte adiiciat?

§. X. Vt autem scriptum hoc scopum suum eo melius obtineat, cum Theologis celeberrimis vrgemus sequentia: causas nim. ob quas Christiani Bacchanalia fugere debeant, B.Bakius (g) profert sequ. 1. Propter autorem valde suspectum, Liberalia enim & Bacchanalia, quæ a Græcis *διονύσια* dicebantur, instituta sunt in Græcia a quodam, qui *Melampus* dicebatur (vt sup. Th. I. diximus) postmodum a Græcis deriuata ad Romanos, a Romanis autem ad Germa-

(f) *Vid. Ordin. Prouinc. Würtemb. tit. 102.* von Fastnacht-Küchlein und Butzen-Kleidern. *Add. ea quæ in ordinat. Prouinc. Saxo-Gothan. part. 2. tit. 16.* von Bestraffung der Mommereyen und Fastnachts-Gelacke *extant.* (g) *loco supr. cit.*

Germanos nostros. Quid ergo est Melampus? significat saltatorem nigro instructum pede, Schwartzfuß/ da denn Satan/ der Höllische Schwartzfuß gewaltig hervor gucket/ und wird dieser Schwartzfuß allenthalben ietzt gespüret/ sintemahl Faßnacht-Lauff ist des Teuffels Lauff/ und folgen den Trappen und vestigiis dieses Schwartzfußes alle Faßnacht-Putzen. Fingunt præterea Poetæ, patrem Bacchi Iouem esse, qui serpentis formam assumserit, & in ea Proserpinam inferni Reginam compresserit, vnde Bacchus natus, egregiam certe sobolem egregiorum parentum! Pater serpens est antiquus, mater inferorum Dea, erit itaque Bacchi festum festum ipsius Diaboli, juxta illud: Gentium Dii Dæmonia Psal. XCVI, 5. Hin Satanas laruatam aliquando mulierem obsedit, seque his excusavit: *iuste feci, quia in meis inueni.* (*) Vitentur Bacchanalia *ob simulachrum Liberi valde ignominiosum*, de quo Saccus refert, quod pictus sit Bacchus 1 nudus, 2 ventricosus, 3 cornutus, 4 circa caput obligatus: tenens in vna manu virgam, 5 in altera 6 Cantharum, cuius currum 7 trahant linx & Tygris, sequantur vero currum Simia, sus, Leo, Lupus & Delphinus. 1 Nuditas Bacchi notat ebriorum turpitudinem, vt ipse etiam Noah ebrius nudatus iacuit. 2. Venter sat amplus notat ingluuiem potatorum plus quam beluinam, sie giessen in sich als in einen Laugesack/ Bier und Wein-Verwüster. 3 ferocitatem bibulorum cornua notant, sie wollen sich mit iedermann stossen und Katzpalgen. 4. Caput obligatum vulnera notat & verbera, sie kriegen gemeiniglich die besten Püff. 5. Cantharus insigne Bacchi & sociorum. 6. Virga pœnas ebrietati debitas, man solte die vollen Narren mit Ruthen streichen. 7. Linx & Tygris diversicolores sunt, & notant

(*) *Vid. Infr. Thes. IV, §. VII.*

notant inconstantiam ebriorum, was sie des Abends geredt haben/ ist des Morgens vergessen. 8. alia autem animalia mores heluonum depingunt, ex quibus sanguinei, Simiæ, phlegmatici & melancholici sues, cholerici lupi & leones: *Ebrius est Samson Salomon, post simia, porcus.* Egregium sane sanctum, qui ἀσωτίαν pro comite semper habet. Eph. 4. III. Vitentur Bacchanalia: *ob cruentum passionis Christi mysterium*, de quo jam agitur: *Dedecus enim est & contra omnem rationem Dominum mori & seruum lætari, Christus in cruce & tu in luce, Christus in patibulo & tu in conuiuio, Christus in conuitiis & Tu in delitiis!* Vrias certe ad vxorem intrare & voluptatibus inhiare noluit, quando Ioab & Arca Domini in tentoriis erant, *Viuit Dominus & anima mea non fiet hoc*, inquit, 2 Sam. XI, 11. pari modo, cum N. T. propitiatorium CHRISTVS, pro nobis pugnet modo & bella gerat cruentissima, detestemur libidines, & *crucifigat in nobis crucifixi memoria omne vitium*, *Bernh.* Phil. Melancht. vrget hoc tempore locum *Zach. XII, 10. plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primigeniti, in illa die magnus erit planctus super Jerusalem, &c.* Quod vaticinium quomodo bacchantes impleant, ipsi viderint. SACCVS certe refert, crucifixi imaginem Berneburgi sanguinem copiosissime sudasse, A. C. 1551, 14 Martii, quo procul dubio indicatum, per bacchantium ἀσωτίαν Christum denuo quasi vulnerari. † Dn. MEISNERVS & alii ex Evang. Domin. Quinquages. Textu plures depromunt causas, cur Bacchanalia fugere & ἀσωτίαν detestari debeamus, i. est: *Christi assumtio*, vt enim Dominus discipulos suos dicitur *assumsisse* & quidem secreto (besonders) Matth. XX, 17. idque partim, vt præ aliis illi seruirent, partim vt passio-

nis

nis comites essent & spectatores : Pari modo, cum & nos assumti in baptismo simus, cum Christum ibi induerimus. Gal. III, cum sortem inter sanctos acceperimus Actor. XXVI, 18. quid nostri erit officii ? vtique seruire DEO, *at bacchantes seruiunt peccato Joh. VIII, 34.* sequi debeamus Christum crucem gerentem, *at bacchantes laruati sequuntur Diabolum :* ad passionem Domini oculos debebamus conuertere, sed bacchantes ad pocula & libidines sese conuertunt, atque ita ASSVMTOREM suum deserunt, abnegantes Dominum, qui eos pretio magno redemit 2. Pet. II, 1. 2. *Christi Ascensio*, cum Christo vtique ascendere nostrum est, ergo non per plateas discurramus, sed ascendamus, quærendo quæ supra sunt Col. 3. affectando Hierosolymam cœlestem, quæ nostra mater Gal. 4. *Ascendamus corde, donec sequamur corpore*, August. *Euolemus, Euolemus ! hæc contemnamus perituri gaudia mundi atque expectemus mansuri gaudia cœli*, Monica Aug. Mater : *At bacchari descendere est non ascendere*, descendunt quippe gulosi in viam latam, Matth. 7. descendunt in vitia a regno Dei excludentia Gal. 5. descendunt in infernum, Esa. 5. 3. *Stupiditatis Apostolicæ consideratio*, Adiuerant illi de passione Domini vel quinquies iam aut sexies, nec tamen intelligunt illorum quicquam, sermo ipsis absconditus est & quid dictum nesciunt: non itaque opus est, vt nos ipsos moriones faciamus & stolidos, mit Larven / Mummen und Narrenkappen / alias in spiritualibus ignorantes sumus, & cœcitas in corde latet, Eph. 4. stulti sumus & tardi ad credendum, Luc. 24, animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, sed stultitia illi est, 1. Cor. 2. 4. *Christi passio*, traditur ille vt reus, illuditur vt fatuus, flagellatur vt ma-

flendi, nunc tempus gemendi, nunc tempus lugendi, nunc tempus pœnitendi & deprecandi quia passio Domini celebratur, sup. Psal. 21. 5. *Misera cæci conditio*, nos omnes lippitudine oculorum laboramus, juxta *Cyrillum*, sedentes in tenebris & vmbra mortis, Luc. 1. Nos omnes extra Jericho sumus, hospites & peregrini, abalienati a ciuili statu Israelis, Eph. 2. v. 12. nos omnes sedemus juxta viam, aberrantes a tramite vt oues, Esa, 53. imo nos omnes cum Bartimæo, sumus egeni, nudi, cæci, & miserabiles Apoc. 3. deploremus ergo nostram modo miseriam, ingeminantes illud Bartimæi: *Jesu fili David*, miserere mei! tunc ESTO MIHI, ex Ps. 31. rite celebramus.

THES. IV.

Magno corporis & animæ periculo se exponunt Bacchantes.

Ἔκθεσις.

§. I.

NOstri bacchantes profecto actionibus suis Christianorum nomine indignis non solum multos adhuc infideles ita offendunt, vt ad Christianam fidem ne conuertantur (*a*) siquidem illæ quibusdam in locis tam turpes sunt, vt nec Turca nec Barbarus Indianus sine maximo scandalo eas adspicere possit, qui procul dubio in hæc verba erumperet. Seynd das die erbaren Christen/ die uns zu ihrer Religion bekehren wollen ? Die sich als unvernünfftige Bestien/ lebendige Teuffel/ und böse Geister in der Hölle bezeigen (*b*) ? sed & seipsos præsentissimo animæ & corporis exponunt periculo, id quod ex tristissimis, quæ in medium proferemus, exemplis euidentissime cognosci poterit.

§. II.

a) *Vid. Io. Botsaccius in Moral. Gedanens. p. 93. a. 8.*
b) *Vt loquitur laudatiss. Dn. Fritschius l. c. p. 150.*

§. II. Primum, quod nobis occurrit, exemplum horrendum sane recitat Baptista Fulgosus de Carolo VI. Gallorum Rege. *Parabat ille*, inquit, Anno nimirum supra millesimum trecentesimum nonagesimo tertio, V. Kal. Febr. *primario cuidam aulæ suæ nobili nuptias, interque epularum pompam ipse vna cum aliis quinque personatus, vestibusque e stupa linoque impicato, vt hispidi pilosique incederent consutis, choreas agebat. Cumque frater Regis Ludouicus Aurelianensis Dux, studio clarius videndi insolentem Satyricumque habitum facem incautius admouisset, scintilla de funali delapsa proximum illico corripuit, qui a reliquis opem postulans, flammam in omnes propagauit, adeo, vt duo ab ingenti cruciatu, quem fluida ardensque pix inferebat, immani cum boatu intra manus exspirarent, duo elati post biduum in miserabili vlulatu animam euomerent, vnus in vicina promi cella vino & aqua flammam vix tandem restingueret, Rex ipse vxoris quidem ope iniectis vestibus incendio liberaretur, verum omni reliquo vitæ tempore rationis mentisque exilium pateretur. (c)*

§. III. Secundum pariter est notatu dignissimum. Vix autem ouum ouo tam simile est, quam præcedenti historiæ hæc quam Zvvingerus recenset sequentem in modum: *Conuenerunt A. C. 1570. Germani aliquot comites in arce Waldenbergica apud Eberhardum Hohenloensem comitem, cum amicitiæ nomine, tum Bacchanalium causa: Qui mos inter eos, qui Christianæ pietati nomen dedere, nimium frequens est. Vt igitur nobilibus matronis ac virginibus, quæ*

glutinata imitati sub facibus progrediuntur, & iucundissimo spectaculo conuiuas ad ludum prouocant. Ludo intentis omnibus accidit, vt male auspicata tessera in terram fortuito casu laberetur. Eam puer personatus dum repetit, funalis incautius adhibiti flammà concepta opem adstantium implorare cœpit. Eberhardus pro sua pietate puero opitulaturus eodem malo corripitur. Corripiuntur & cæteri, quos comitis eiusdemque affinis & hospitis periculum sui fecerat periculi immemores. Nouitate rei adstantes primum delectari, mox vbi ex horrendis clamoribus rem seriam agi viderunt, ad labrum proximum, quod in hunc euentum paullo ante, seu diuinatione quadam imminentis mali, seu Nobilis vnius, quem multum licet deprecantem in eam pertraxerunt societatem, suasu ac consiliis aqua ad impleri iusserat, certatim accurrunt. Eo vbi ventum est, incertum qua forae alueus modo non exaruerat. Erat qui psycterem aqua plenum afferret, sed in ipso limine præ nimia festinatione collabitur. Alterius aquam iamiam infundere conantis cadus ligneus fatiscens auxilii desperatione calamitatem auget. Vix tandem copiosa veste iniecta sopitus est ignis, & persona quidem illæsa reperta, nisi quantum de stupa picata flamma absumserat; Carnes vero subiectæ tam miseris vstulatæ modis, vt nullis medicamentis vel ardor conceptus extingui, vel dolor mitigari potuerit. Adeoque paucis post horis, Gregorius Tubingensis, Albertus & Eberhardus Hohenloenses Comites in ipso ætatis flore vitam cum morte commutarunt. Hactenus Zvvingerus.

§. IV. Ne autem quis excipiat, non omnes bacchantes pice & stupa vestitos incedere, quare nec cur tam atrocem timerent interitum, haberent, alia adhuc tragica de corporis pariter ac animæ periculo testantia adducemus. Mos quondam erat Lipsiæ, vt liberalius personari iuuenes

per

per vicos oppidi aratrum circumducerent, & puellas obuias per lasciuiam ad illius iugum accedere etiam repugnantes cogerent, hæc veluti ludicro pœnam expetentes ab iis, quæ innuptæ ad eam vsque diem mansissent. Accidit in Bacchanalibus anni 1499. vt vnus ex his ludiis puellam quandam cordatiorem aratro vrgeret, cumque illa eius manibus elapsa in proximam domum profugisset, nec tamen abstineret personatus ille fugitiuam prosequi, tandem cultro arrepto acriter instantis pectus transfixit, & a cæde recenti ad iudicem deducta infestum sibi spectrum, non hominem a se percussum fuisse causata fuit (*d*).

§. V. A. C. 1639. Viennæ bacchanalia celebrabantur, ita, vt proceres vtriusque sexus laruati incederent, equis & carpentis per plateas veherentur, mensas conquisitissimis epulis extruerent, & saltationibus variis delectarentur, omnia tamen rusticorum more. Eodem tempore, quod notatu dignum, extra & circa Vrbem Viennam horrendum spectrum traha, quam equus tripes moderabatur, vectum sine intermissione ignem eructans videbatur. Quidam, qui suis oculis viderunt illud, paulo post apoplexia surrepti, multa quoque sequentibus annis prodigia ibidem apparuisse feruntur (*e*).

§. VI. Porro dictum suo exemplo fecit clarum iuuenis ille, qui habitu Bacchico indutus laruaque Diabolica deformatus Magdeburgi noctu viuus Diabolo fuit abductus (*f*): Syluii Othonis, qui noctibus vagari solitus pugione

one tandem ſe ipſum interfecit *(g)*: Smyrnæi, qui vrbem Smyrnam Bacchi ſacra celebrantes amiſerunt, ſeque ipſos in vitæ periculum temere coniecerunt *(h)*.

§. VII. Eccleſiaſtica in hiſtoria mulier quædam, quæ laruato vſu erat vultu, a Diabolo obſeſſa traditur: cum vero ex hoc quæſitum eſſet, cur mulierem fidelem obſidendi licentiam ſibi ſumſiſſet, reſpondiſſet ipſe; iuſtiſſime feci, quia in meis eam inueni *(i)*.

§. IIX. Aliud eiusdem farinæ exemplum ad §. IV. ſpectans recenſet Martinus Grundmann *(k)* ſeq. modo: Ein Meißniſcher Edelmann / Görg von Schleiniß / welcher zu Magdeburg und Wittenberg etliche Jahre ſtudiret / hatte ſich zu unſerer Vorfahren Zeiten mit einer ſchönen Jungfrau aus dem Hauſe Wickelthal verſprochen / und ſolte nach Oſtern die Hochzeit angeſtellet werden. Es trug ſich aber zu / daß die Faſtnacht zuvor viel Volck von Adel auf vorgedachtes Haus zuſammen kamen / und als ſie luſtig ſeyn wolten / giengen etliche iunge Edelleute hin / vermummeten ſich / zogen viel zötige Bären-Häute an / behingen ſich auch mit Werck und Pech / und kamen alſo tantzende mit Fackeln unter das Frauenzimmer. Unter ſolchem Tantze reitet einen vornehmen (weit) vom Adel / der zugegen war / weiß nicht wer / daß er ein brennend Licht vom Leuchter nimmt / und ſolches unter die Tantzenden dahin wirfft. Hiervon entzünden ſie ſich unter einander ſo jähling / daß die meiſten tödlich verbrant worden / die Braut / ſo mit ihren langen Kleidern über den Bräutigam gefallen / hat ſich an ihrem Leibe ſo hefftig verbrant / daß ſie nach wenig Stunden / ſambt ihrem Liebhaber

---

(g) Sueton. in vita Sylv. Othon. p. 401. *(h) Herod. in Clio p. 7.* *(i) Recenſet. B. Glaſſius in Exegeſ. Euang. Quinquageſ. p. 395.* *(k)* In ſeiner Hiſtoriſchen Geſchichts-Schule *part. 1.*

der nach erlittenen vielen und unausſprechlichen Schmertzen jämmerlich geſtorben. Uber vorige ſind noch fünff andere fürnehme Adels-Perſonen / ſo das Feuer zu dämpffen getrachtet / und ſich darbey höchlich verletzt / nach kurtzer Zeit Todes verblichen.

§. IX. Inter bacchantes ſpeciatim potatores & ebrii plerumque in lubrico verſantur, ita, vt tam corpus quam animam eorum diramalorum procella circumuallet. Non ſolum enim de tricis rebusque abiectiſſimis ſæpe inter ſe digladiantur, ſed etiam peſſimas nugas, verba impia & blaſphema eructant, quare iuſto Dei permiſſu haud raro infenſiſſimus generis humani hoſtis illos corripere atque pro merito ad denſiſſimas tenebras detrudere tentat, quod ex ſequenti exemplo ſatis apparet. Recenſet illud M. Iac. Daniel Ernſt (*l*) his verbis: Es wären zu Faſtnacht (anno 1556.) auf einem Dorffe unſern Wittenberg / ſieben Edelleute zuſammen kommen / und weidlich mit einander geſoffen. Indem man nun einen unter ihnen nicht ſo viel zugetruncken / als er wohl verlanget / hat er ſich dieſer gottloſen Worte vernehmen laſſen: **Ey wil denn mir niemand zutrincken: Wolte ich doch wohl dem Teufel beſcheid und gleich thun / ſo er mir etwas brächte oder zuſöffe.** Uber dieſer läſterlichen Rede ſind die andern Anweſenden erſchrocken / und ihn geſcholten / weil er aber die Straffe übel aufgenommen / hat es nicht viel gefehlet / daß ſie nicht von den Worten zum Streichen kommen / worüber die andern aus der Stube gegangen und den Sauffaus alleine darinne gelaſſen: Als dieſe hinaus / legt ſich jener auf die Banck und ſchläfft: Aber was trägt ſich zu? Umb

Mitternacht treten sechs grausame und erschreckliche Männer zu der Thür hinein / deren ieder eine grosse Kanne in der Hand getragen. Diese machen sich hinzu / wecken den Schlaffenden auf / und trinckt ihm der Forderste eins zu mit diesen Worten: **Bruder / du must mit mir sauffen / denn du hast ja vorhin gesagt / du wollest mir bescheid thun / so ich dir eins bringen würde / wirst du dieses nicht halten / so siehe zu wie es dir ergehen soll?** Was soll der Elende thun? Er saß dort auf der Stelle für Schrecken fast [illegible] todt / und wuste nicht wo aus noch ein / weil ihn aber die Teufel mit schrecklichen Worten nöthigten / ergreifft er das Gefäß und wil trincken. Indem er aber damit zum Munde wil / ruffet eine Stimme zum Fenster hinein: **Laß bleiben / laß bleiben! thue es nicht / sondern bete!** Hierauf verlieren sich die Teufel / und kömmt hingegen diese Person / so draussen geredet hatte / ins Gemach / vermahnet den Edelmann zum Gebeth / und betet ihm auch selbsten für. Als dieses geschehen / muntert sie ihn noch ferner auf zu rechtschaffener Busse und gläubigen Gebrauch des hochwürdigen Abendmahls. Des Morgens erzehlet dieser / was ihm begegnet / und dancket GOTT / daß er noch also durchkommen / wiewohl man hernach die schwere Kranckheit an ihm verspühret / welche er zuvor nicht gehabt hatte.

§. X. Denique non possumus, quin in gratiam temerariorum contemtorum legum de non celebrandis Bacchanalibus a pio Magistratu promulgatarum vnicum adhuc ex *Theatro Europæo* (*m*) apponamus. Verba autem ibidem ita se habent: Zu Wien am Käyserlichen Hof war einer von der Reformirten Religion auf einem Sonntag in der Fastnacht / denen Capucinern aufgehenckten Reformations-

(*m*) *Ioh. Georg. Schledero continuato ac edito, pag. 296. seq.*

tions-Patenten zum Spott / in Capuciner-Kleidern in der Moscare gangen: Der ist aber von den Richtern ertappet / und Montags darauf in der Kutten ausgestrichen und des Landes verwiesen worden. Dessen ungeachtet haben sich aus der Evangelischen Niederlag etliche zusammen rottiret / sich in Jesuiter-Habit verkleidet / auf einen Wagen gesetzt / und in der Stadt disputirende herumb gefahren; So man pleno curru in die Löwen-Grube geführt: Ist auch einer in einer Nonnen-Kleidung verstellt / welche ein Kind gebohren hatte / herumb gangen / der aber von den Lackeyen fast halb zu todt geprügelt worden.

§. XI. Quam felices proinde sunt, qui Bacchanaliorum ineptias abominantur, nec tantis tamque horrendis peccatis animos onerant! Clemens illis manet Deus, saluaque conscientia. Eum autem, qui sancto hoc tempore cum Bacchantibus mundanum quærit gaudium, ad veram eamque perennem tranquillitatem perducere, & propterea cum Clemente Alexandrino ita (*n*) alloqui non dubitamus: *Veni, o vesane, non thyrso innixus, neque hedera redimitus. Abiice mitram, abiice nebridem, sis temperans ac moderatus. Ostendam tibi verbum & verbi mysteria, narrans conuenienter tuæ similitudini. Hic est mons DEO dilectus, qui non tragadiis, quemadmodum Cithæron argumentum dedit: sed est dedicatus veritatis actibus; mons sobrius, castus, vmbrosus sylvis. In eo autem bacchantur, non*

Psallunt puellæ, glorificant Angeli, Prophetæ loquuntur: editur sonus musicæ, cursu Thyasum persequuntur, magno studio festinant, qui sunt vocati, patrem cupientes recipere. Veni tu quoque, mi o senex, relictis Athenis, Diuinatione abiecta & arte Bacchica, ad veritatem deducere. Ecce do tibi lignum, quo innitaris. Festina Tiresia, crede. Christus illuminabit visum sole splendidius, per quem cæcorum oculi respiciunt: nox te fugiet, ignis perterrebitur, mors peribit. Videbis cœlos, o senex, qui Thebas non aspicis. O vere sancta mysteria. O puram lucem. Præferuntur mihi faces, cum cœlum & DEVM *aspexero: Sanctus fio initiatus. Sacrorum autem interpres est Dominus, & mystam obsignat illuminans, & Patri commendat eum, qui credidit, qui seruatur seculis. Hæ mysteriorum meorum debacchationes sunt. Si velis, tu quoque initiare, chorumque cum Angelis circa eum, qui ingenitus est, duces, & ab interitu alienus, & qui solus est vere Deus: vna hymnum nobiscum canente Deo Verbo. Æternus hic est, Iesus vnus, qui magnus pontifex, & vnius Dei qui idem quoque est pater, orat pro hominibus, & hortatur homines.*

TANTVM.

DE